



The Holy See

IOANNES PAULUS PP. II LITTERAE APOSTOLICAE **MULTA IAM SAECULA** TEMPLO BEATAE VIRGINIS MARIAE
SUB TITULO «NOTRE DAME D'AVIOTH»,
IN DIOCESI VIRODUNENSI, BASILICAE MINORIS DIGNITATES TRIBUITUR Ad perpetuam rei memoriam. – Multa
iam saecula «sancta Ecclesia beatam Mariam Dei Genetricem cum peculiari amore veneratur, quae indissolubili nexu
cum Filii sui opere salutari coniungitur» (*Sacrosanctum Concilium*, 103). Et iusta quidem ratione, per maternam enim eius
intercessionem Christifidelis a malis eripitur atque fidei ceterorumque virtutum incrementum iugiter experitur. Haud mirum
igitur si populus christianus Deiparam Virginem attente semper coluit, sub eius praesidium saepissime confugit eidemque
templa praeclara et sacella plurima ubique per orbem terrarum dicavit. Nos Ipsi, qui Redemptoris nostri Matrem filiali
affectu veneramur, populi marialem pietatem profecto fovere volumus, plane fisi fideles per eam ad Christi salvificum
mysterium Ecclesiaeque fraternalm communionem facilius certiusque perduci. Quamobrem libentes accepimus
petitionem Venerabilis Fratris Marcelli Herriot, Episcopi Virodunensis, qui petiit ut templum ibi Sanctissimae Dei Genetrici
dicatum ab Apostolica Sede honore Basilicae Minoris honestaretur. Audito ergo consilio Congregationis de Cultu Divino
et Disciplina Sacramentorum, certiores facti omnia instituta ad cultum sollemniorum necessaria ibi accommodate esse,
Apostolicae Nostrae potestatis plenitudine statuimus ut aedes Beatae Virginis Mariae sub titulo «Notre Dame d'Avioth» in
posterum dignitate Basilicae Minoris frui possit, iuribus additis et privilegiis huiusmodi templorum propriis, servatis vero iis
quae servanda sunt secundum Decretum «de titulo Basilicae Minoris» die IX mensis Novembris anno MCMLXXXIX
evulgatum. Quae vero concedimus, volumus nunc et semper firma esse, contrariis quibuslibet non obstantibus. *Datum*
Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die XII mensis Maii anno MCMXCIII, Pontificatus Nostri quinto
decimo. ANGELUS card. SODANO

Secretarius Status © Copyright 1993 - Libreria Editrice Vaticana

Copyright © Dicastero per la Comunicazione - Libreria Editrice Vaticana